



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Dei potentia & voluntas in succurrendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

gunt? Tentatus est David, & cecidit; tentatus Petrus, & Christum negavit; tentati reliqui Apostoli, & omnes, relicto eo, fugerunt; denique quisquis damnatus est hominum adulatorum, per tentationem in peccatum, per peccatum in infernum lapsus est. An non igitur præstaret, tentationes in Mundo nullas esse, cum, sicut occasio furem, ita tentatio videatur facere peccatorem?

II.

Hæc ipsa de permissione tentationum, tentatio maxima est, & quidam scopulus piorum; ita tentatio ferit tentationem. Sed multa sunt, è quibus ei fiat medicina. Primum est, si consideremus, ob quamnam causam, fomitem in nobis, concupiscentiasq; , & alios inordinatorum motuum fontes reliquerit Deus,

In vita Leonard. Lessij, quam Bruzellis edidit Thomas Courtois. c. 12. §. 64.

Nam, ut in vita optimi P. Leonardi Lessij legimus, Lessius has affectiones, tribus potissimum de causis, tamquam hereditarios hostes, post primorum scelus parentum, in nobis relictas volebat. Primo, ut propria miseria inopiaq; conscy, dum nativo quodam pondere in calamitates ac scelera labi nos perficimus, deposito fastu, ipsos nos abijcimus. Deinde ut esset insignium victoriarum locuples materia, dum quotidiana militia aut vincere generosi, aut occumbere socordes cogimur. Tertio, ut auxiliares è calo & opes, & copias gerendo bello deposcamus, adeoq; utili quadam necessitate, Deo frequenter supplices, magno bono nostro accidere compellamur.

III.

Hæ causæ sufficiunt ad Deum non iam excusandum, sed laudandum, ob morbos animi tam utiles in nobis relictos. Deinde, si de interno malo loquamur, etiam atque etiam expendendum est, ferocissimum quidem esse, & maximarum virium infernum hostem, voluntateq; acerbissima, sed non minus in manu Dei Mundum gubernantis, atque cetera omnia. Sicut ergo diuina prouidentia mari posuit terminos; sicut continet flumina, imbres, tempestates, belluas, aliaque mala; ita etiam frenat diabolicam potestatem, eiusque vim intra certos limites cancellosque cohibet. Id eum posse, docet eius omnipotentia; id nosse, ostendit summa sapientia; id velle, demonstrat infinita bonitas & charitas: ut proinde non sine graui culpa sit, qui ei culpam ascribit; & crudeliter cogitet, quicumque eum accusat crudelitatis. Dolis pullulat orcus, ex astutijs confutus est caco-dæmon; fraudibus, mendacijs, violentia, blanditijs nouit

nouit

novit & DEVS, quibus auxilijs hæc omnia superentur. Infinita est eius scientia, vt nullius illi possit error ascribi: infinita vis & potentia, vt non deficiat eius p̄testas; infinitus amor, vt de nulla possit inclementia accusari.

Hinc omnia ei tentatoris consilia, omnes doli, omnia stragemata sunt cognitissima. Hinc perspicuè videt quid orcus possit, quantæque sint vires Acherontis; quanta item hominum imbecillitas. Omnia enim ei manifesta sunt. Sed & omnia possibilia sunt apud DEVM. Hinc manum porrigere, hinc opem afferre etiam in rebus desperatissimis novit; & ipsos etiam auxilijs suis homines quodammodo facere omnipotentes: vt dicere adeò quispiam ausus sit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Esto igitur, immanissimi sint Alastores, & spirent minas, more gigantum sub aquis gementium; nihil tamen omnino possunt efficere, etiam contra puerum vix è cunis exeuntem, aut contra fragilem sexum puellarum; aut contra grallis incedentem senem, aut contra quemcumque alium, quantumcumque tandem imbecillum, diuino robore munitum. Nonnè gigas erat Goliath, & armis ferreis instructus? processit contra eum pastoritius puer, baculo & funda, gladij & balistæ loco armatus, & exiguo lapillo in terram applausit lacertosum gigantem; proprioque gladio contruncavit. Hæc est manus Domini: hæc dextera excelsi. Scit ergo DEVS, vbi, & quando sit succurrendum; & vim habet, quâ possit succurrere. *Quoniam quis DEVS, prater Dominum? qui decet manus meas ad prælium?*

Cur igitur tot quotidie succumbunt, inquires, cur tam paucievadunt victores? An fortasse, qui novit nostram debilitatem, & vires habet, quibus succurrat, succurrere non vult? Absit, vt hoc credamus; nihil magis repugnat diuinæ bonitati. Infinita est DEI charitas. E quo fonte promanat, vt ei non possit deesse voluntas succurrendi. Neque aliquibus dumtaxat, sed omnibus succurrit, qui omnes vult saluos fieri. Spectat igitur ad charitatem illius infinitam; vt, cum Satanæ potestatem facit nos tentandi, non solùm id faciat ad vtilitatem nostram, & aliquem cum tentatione pronentum capiendum; sed etiam vt sufficientia nobis auxilia suppeditet, quibus tentationem superare, & victo-

IV.

Matth. 19. 26;

Phil. 4. 31

1. Reg. 17. 49;

Psal. 15. 8;

Psal. 43. 4;

Psal. 17. 32.

& Psal. 143. 1;

V.

1. Tim. 2. 4;